

iusmodi quid minime constat: nisi quod exulem cum filio senem decrepitem, paullo ante filii ad munus publicum vocationem, A. eodem 1528. d. 13. Martii æt. 70. diem Noribergæobiisse, tandem ex Vitæ Curriculo filii ap. *Freherum* intelleximus. Illud ergo *B. Wurffbain* forte innuere voluit. Sed de filiabus hæc quidem sufficient: a quibus ad filios progressio nunc facienda erit. a)

§. LXIV.

Horum autem perinde, uti filiarum, tantum Trias nobis innotuit. Et primus etiam similiter, atque filiarum una, non nisi nomine tenus paucis cognitus est. *Pauli Helingi* ei *Martinus* frater tribuit nomen, & Magistri Philosophiæ honoribus condecoratum Altorphi decessisse A. 1590. sequenti Chronosticho

Septembris noX qVarta fVlt te fVnere qVando

Vls Lethl terræ frater ab orbe raplt.

inter Epicedia paterna docet: atque adeo ante Parentis excessum ex hac vita eum vivere desiisse hinc intelligimus. Alter vero, qui Patri superstes fuit, *Martinus Helingus* dictus est, qui & ipse præter alios in Altorphina Academia studiis incumbens Philosophiæ lauream A. 1588. consecutus, tandem etiam, Patre, uti videtur, adhuc in vivis existente, summos in Medicina honores alibi b) (nondum enim hæc privilegia Altorphium tunc temporis acceperat) impetravit: cuius etiam inter Epicedia paterna, tanquam Philos. & Medicinæ Doctoris, carmen non contemnendum legitur. Sed familiæ nomen nunquam observatum est eum propagasse: unde & honorifica quidem, sed brevi ejusdem memoria defungi potuimus. Tertius, & junior ceteris, atque ex Conjugio procul dubio tertio natus, fuit *Joh. Mauritius*

R 2

He.

a) Carminis a *G. Volcarto* in natalem Socris sui *Helingi* A. 1587. scripti Trochæico Gr. & Lat. versu & 4to Altorphi ap. *Nic. Cnorr Acad. Typogr. excusæ* jam supra §. 2. facta est mentio: cuius, ut paullo ante filiam ductam esse uxorem pateret, hic distincta magis mentio facienda fuit. Conf. §. 45.

b) Procul dubio Heidelbergæ; ubi etiam Præside *G. Sohnio de Incarnatione Filii Dei publice disputavit: Quæ Disp. adhuc in Sobnii Operibus extat.*